
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO X. & VLTIMA

DE CONSEQVENTIÆ LOGICÆ VERITATE.

Vbi necessitas & generalitas eius in Theologiâ cumprimis demonstratur, & obstantia brevibus amoventur.

Disputationis loco in Gymnasio Gedanensi Proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Phil. Mag. & Professore Ordinario

Respondentis vices occupante

AUGUSTINO Früauff

Lignitio-Silesio.

Ad diem 5. Martij. S. N.

In Auditorio Philosophorum Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1636.

I.

E*Paminondâ Thebanorum rebus cum imperio præfecto nunqvam evenisse narrat* Erasm. l. 5. apo. in Epam. §. 1.3. *ut exercitum, quem sub signis pugnando educeret, pavor aliqvis* Panicus *occuparet, qvi subitò & præter causam suboriri solet. Atq; idem Imperator militum, quibus arma gestanda essent, corpora non militariter solùm, sed & athleticè exercitata esse edixit: nam & corpore cum militibus expedito ad motum atq; agili esse voluit; & cum athletis robusto, atq; ad excipiendos ictus prævalido. Nunqvam impetum Adversarij* solidus disputator *pavere necessum habebit, si & sophistarum* ἐπιχειρήμασι *ex Logicâ disciplinâ probè animum instruxerit: & præceptis se apparaverit, quibus legitima arguendi consequentia velut firmis stapedibus innixa statuitur. Quando igitur aggressus sophistarum per inconsequentiam, priorum disceptationum exercitationes elucidârunt: non inutilis operæ conamen visum est, si ad perfectiorem doctrinæ hujus claritatem* ipsa legitimæ consequentiæ ratio, veritas, & generalitas *peculiari disceptatione ob oculos poneretur. Quod ut suum objectum ultima hæc primæ decadis diatribe sibi* cum Deo destinabit.

2. Consequentiæ *vox sumitur* vel Rhetoricè vel Logicè. Rhetoricè *notat cursum & consecutionem quamcunq; rerum & eventuũ. Sic* Cic. l. 1. d. divin. §. 128. *ait, Qvi cursum rerum & eventorũ consequentiam diuturnitate pertractatâ notaverunt. Logicè sumitur* vel *generaliter* vel *specialiter.* Generaliter *notat quamvis unius ad aliud consecutionem,* in

 termi-

termini *ea ſit, ut ad rationale conſequitur docile, ad relatum correlatum, ad unum oppoſitum & alterum, ad unam potentiam neceſſariò connexam & altera, ut ad potentiam flendi & potentia ridēdi:* S. propoſitionis, *Vt ad hāc, Om: homo eſt animal, ſequitur hæc, tanquam ſubalternata iſtius, Quidam homo eſt animal:* ſ. integræ argumentationis, *quæ & conſequentia ſyllogiſtica dici ſolet.* Specialiter *notat eam ſequelæ rationem, quæ in argumentatione conſiſtit. Vt cum in argumento dicere ſolemus, negari conſequentiam; aut Elenchum conſequentis Syllogiſmo ineſſe dicimus. Et hic ſenſus hujus eſt loci. Hoc modo adhuc* tripliciter *ſumitur conſequentia.* 1. pro *diſpoſitione ſyllogiſticâ apertâ & expreſſâ, modo & figurâ formata, Quomodo conſequentia ipſa forma Syllogiſtica & ipſe Syllogiſmus dicitur,* Fonſecæ l. 6. Dial. c. 1. Dn. Philipo l. 3. dial. D. Keslero *conſequentia concretè ſumpta*, d. conſeq. c. 23. §. 6. 2. pro *virtute aliquâ, comite perpetuo, & affectione diſpoſitionis Syllogiſticæ,* Libavio l. 2. Di. Phi. Ram. p. 544. D. Kesl. c. l. 3. pro *legitimâ propoſitionum vel terminorum connexione, quæ expreſſa diſpoſitio Syllogiſtica nondum quidem ſit, eam tamen virtute in ſe habeat, unde facilè efformari poſſit. Hoc modo in diſcurſibus, colloquijs, diſſertationibus homilijs, orationibus, ſæpè conſequentias Syllogiſticas occurrentes videbimus. Ita & illum* formaliter ſ. formâ conſequentiæ *diſputaſſe dicimus, qui rationes conſequentes adducit, unde facile Syllogiſmi fieri poſſint, ut benè obſervat* Cor. Mart. d. an. form. c. 10. & reſp. c. Meiſn. th. 183. 187. 188. De conſequentia Enunciativâ, *quæ in ſolâ fœcunditate propoſitionum ſine virtute medij alicujus termini conſiſtit, & uſitatè conſecutio* ἀσυλλόγιστος *dicitur, jam non ſumus ſoliciti.* Syllogiſtica conſequentia *etiam ſequela, conſecutio, collectio, ſubſecutio, aſſecutio dicitur, & ad imitationem Apuleij conſequium. Ita enim enim appendices rerum ille vocat* l. 10.

metam,

metam. p. 247. *decora rhedarum carpenta partim contecta, partim revelata, novissimis trahebantur consequiis.* & l. 5. p. 169. *consequia. Psyche penduli comitatus per nubilas plagas extrema consequia, tandem fessa delabitur solo. Quanquam* Grutero & Elmenhorstio ad h. l. *consequa placet.*

3. *Consequentia hæc est* vis illativa, quâ ex posito præjacente aliud tanquam consequens legitimè elicitur. *Dicitur* 1. vis illativa, *i. e. virtus & potestas quædam argumentativæ dispositionis ex medio termino, vel apertæ vel opertæ, ut excludatur consecutio illa, quæ sine illatione argumentativâ fit ex solis variandi habitudinibus in propositionibus, ut in conversionibus, æquipollentiis, oppositionibus, consecutionibus, subalternationibus, & similibus, ortum trahens, de quibus aliàs.* 2. Quâ ex posito præjacente aliud tanquam consequens legitimè elicitur. Positum præjacens *hic non intelligitur terminus, nec integer Syllogismus præmissus alii, quem prosyllogismum vocamus: sed propositio aliqua:* Consequens *itidem propositio, ex priore legitimè educta. Adeóq; in consequentiâ illativâ ad minimum duæ propositiones requiruntur. Cum præjacens ita se habet, ut verè id, quod educitur, tanquam comitem aliquem de se fundat, legitima est sequela: sin secus se habet, illegitima est. Sic legitima est consequentia: Apostolis datæ sunt claves ligandi & solvendi à Christo,* Joh. 20. v. 23. *E. legitimè vocati ministri Verbi habent potestatem remittendi peccata aut servandi hominibus. Nam antecedens legitimâ velut emanatione consequens de se fundit, ut fons rivum suum. At illegitima est: Petro datæ sunt claves regni cœlorum,* Matt. 16. v. 19. *E. Papa Romanus jure exercet utramq; potestatem, spiritualem & secularem. Antecedens enim stare potest sine consequente, nec illud justo velut fluxu à se emittit.* Divisiones consequentiæ *variæ sunt, ut in bonam & malam, formalem & materialem, necessariam & proba-*

 bilem,

bilem, enuntiativam & discursivam, convertibilem & non convertibilem, quas hic persequi nostrum institutum non est. Videantur de illis Fonsec. c. I. D. Kesler. *peculiari tractatu de* consequentiâ c. 2. 3. 4. 5. seq:

4. *Quod nobis jam est propositum, tribus expediri potest. 1. Consequentiæ Syllogisticæ veritate & necessitate. 2. Ejusdem universalitate. 3. Regularum generalium soliditate, per quas dirigatur.*

5. Quà primum, *quæsitum est,* An semper in omni materiâ, etiam Theologicâ, legitimâ consequentiâ Logicâ sit disputandum? *etiam sic formari solet quæstio:* An semper in formâ Syllogisticâ sit disputandum? *Orta est hic dissensio inter* D. Meisnerum & Corn: Martini. Jlle *negavit quæstionem* p: I. P. S. s. I. c. 6. q: 7. Hic *affirmavit* l. d. ana. Log. p: I. c. 10. II. *Iste negationem pertexuit in quæstione* I. *disputationis alicujus, cui titulus,* quæstiones vexatæ: *Hic ad negationem respondit peculiari tractatu, sub titulo,* Responsio *ad primam vexatam quæstionem Bal. Mei: Helmæstadij* An: 1621. *edito. Ad hunc iste peculiarem tractatiunculam vicissim reposuit,* sub titulo, *de maledicentiâ & iniquitate Corn. Martini, eodem anno VVittebergæ editam. &c. Non opus arbitror, tanto fervore rem istam disceptari: cum in ipso rei cardine benè utriq; convenire putem. Vt sequentes hypotheses docebunt.*

6. *Sed præter hos disceptatores adhuc* duæ extremæ *reperiuntur* sententiæ, *una in* defectu, *altera in* excessu. *In* defectu *peccat illorum sententia, qui totum Logicè disputandi artificium, adeoq; omnem procedendi modum Academicum per regulas, formas, figuras, modos Logicos, in Theologiâ ut frivolum, impium, gentilem & Ethnicum reyciunt, & universum nectendi consequentias artificium irrident. Quâ in sententiâ sunt* Barbari, Enthusiastæ, Weigeliani, Suenc-

feldi-

feldiani, fanatici, Anabaptistæ, Fratres Jgnorantiæ, Paracelsus, *Logicam ut impurum inventum, & lumen naturæ impediens reÿciens*, ap. Cl. Sennert. de Chy: consf: c. 4. Cresconius Augustini adversarius, *qui negabat cum Augustino disputandum esse, quia esset Dialecticus. V.* August. l. 1. co. Cresc: c. 14. *Eoq; non obscurè inclinat* Werdenhag: præf: Pol: general. *Quibus consentiunt* ex parte, *qui* totam Philosophiam *omnesq; rationis disciplinas cum Theologiâ ἀσπόνδῳ bello quondam commiserunt, ut* D. Hofmannus, D. Joannes Olearius, Joannes Mullerus, Gotfridus Sluterus, M. Kittelmannus, *& similes, de quibus* V. mall. impie. Hofman: p: 5.6. *Quibus accedunt* Garguthenius in prodr: con. Cl. J. M. And. Cramerus, Wencesl: Schillingius in conc: Metaphys: *aliÿq;. Ex parte &* Tertullianus l. d. præs. c. hær: c. 7. *qui iniquior dialecticis consequentiis videtur fuisse. Quanquam commodè explicari potest. In* excessu *peccat 1.* illorum sententia, *qui nullam rationem assumere volunt, nisi expressâ formâ & dispositione Syllogisticâ prolatam, & subinde illud, ad formam, ad formam, crepant, quod* Jesuitas *in colloquio Ratisponensi fecisse testatur D.* Hunnius relat. d. colloq. Ratisp. T. 2. Op: p: 309. *pateiq; ex* Actis ipsius Colloquii, ses. 8. *Et epistolâ quadam Pontificÿ Anonymi apud eundem* D. Hunn. c. l. p: 345. 346. *Itemq;* Mulhusini scripto con. Mulmannum c. 1. s. 2. 3. Stengelij d. Syllog: p: 1. §. 46. Schoppii præf. li. d. indulgentiis cont. Hunnium. *Idem* Pistorium *in colloquio Badensi fecisse testatur idem* D. Hunn. c. l. p: 310. *patetq; ex actis Pistorÿ in eodem colloquio*, p: 279. *& repetitur à* D: Meisn. tr. d. maled. C. Mart: c. 2. th: 19. p. 112. 113. 177. BeZam *in colloquio* Mompelgartensi, *subinde dicendo, fac Syllogismum, fac Syllogismum, testantur Acta*, V. Coll. Momp: p: mihi 119. *Idem postulant* Authores *motivæ non receptæ à*

Marchi-

Marchione Badensi formulæ concordiæ, *in præf: Et urget* Goclen. p. 3. misc: p: 195. Aliique Authores. 2. Illorum, *qui Logicis consequentiis & reliquis instrumentis à Logicâ suppeditatis tantum tribuunt, ut ad lucem Evangelij accendendam media esse putent. Vt* KecKer. l: 1. sy. Theo. c. 4. p: 57. *& rationem stabilire posse fidem dicant.* Goclen. præf: p. 1. misc: common: 6. *Scio, hic excusationes Authoribus parari apud quosdam, ut Pareum, Ioh. Crocium aliosq́; de quibus per occasionem in discursu videbitur. Sit modò sensus sub verbis congruus: in modis loquendi faciles esse conveniat.*

7. *Vtriq́; sententiæ occurretur certis hypothesibus, quas ordine formabimus & confirmabimus. Primùm* de genesi Logicâ *agendum, post* de analysi. De genesi *dicendum.* I. Semper in formâ Syllogisticâ est disputandum, *i. e.* legitimâ & Logicâ consequentiâ genesis Logica seu probatio alicujus rei est adornanda, *nam &* hoc dicitur in formâ Syllogisticâ disputatum, *si legitimâ & competente sequelâ unum educatur ex altero, etiamsi apertus & expressus Syllogismus non conformetur.* V. Go. Mart. resp. co. D. Meisn: th. 185. 186. 187. *Et hoc intendit* Cor: Martini, *ut apertissimè appaert ex* anal. Lo. p: 1. c. 10. p: 125. 126 c: 5. p. 74. 75. & respōs: l. c. th: 43. 44. & concedit D. Meisner. qu: vex: 1. th: 3. 5 & 11. 12. 13: 17. & tr. d. mal. C. M. c. 2. p: 200. 201. 192. 193. *Adeoq́;* in hoc puncto *reale disidium inter illos non est. Quicquid sit de vocibus, quibus hoc vel illud enuntietur. Iam confirmatur hypothesis variis rationibus.* 1. Omne instrumentum formale, *rectificans operationem intellectus generalem & processum ejus, est generale, & generaliter in omni scibili adhibendum.* Ratio est, *nam tale instrumentum fundatur in ipso lumine naturalis intellectus, â cujus ductu dictatur & suppeditatur, non demum fingitur ab ullo homine, Ari-*

stote-

stotele, Platone, gentili vel Christiano, Iudæo vel Græco: sed ipsi naturali intellectui â Deo est insculptum, unde naturaliter homini, ut homo est, est notum. Hinc connexiones rerum verarum in principiis luminis naturalis fundatas nos non pro nostro arbitrio posuimus, statuimus aut fiximus: Sed â Deo in naturâ rerum fixas beneficio naturalis intellectus observavimus tantùm & advertimus, ut præclarè ex Augustino l. 2. d. doct: Chri: c. 32. *loquitur* Co. Mart. l: 1. d. ana. c. 5. & resp. c. D. Meis: t: 153. *Ipsi processus sunt radij divinæ mentis post lapsum in mente hominis, ut rudera, adhuc residui, ex quibus omnium disciplinarum & artium præcepta fluxerunt. At quæ sunt luminis naturalis, & in eo fundata, sunt universalia, & in omnibus disciplinis competenter urgenda. Sic, ignem esse calidum, grave petere fundum, verum esse, nos non fecimus, sed observavimus, & coniungendo tales terminos deinde enuntiavimus.* Sed consequentia Logica *est tale instrumentum formale, operationem intellectus dirigens & perficiens, in naturali intellectu fundatum. Sic, Cur consequentia vera, Homo est animal, E. habet sensum. Quia in naturali rerum ordine ista sese consequuntur. Cur falsa, Homo est animal, E. statim leo, Quia in naturali rerum connexsione illa non iunguntur, Sed sejunguntur. Logica dirigit & ostendit saltem istum processum, in naturâ rerum fundatum. E. consequentia Logica generaliter est observanda, & sic & in Theologiâ.*

8. 2. A fine creationis. *Homo aut creatus est ad operationem rationalem, aut ad irrationalem, aut frustra, & ut nihil ageret. Non* irrationalem, *Nam hæc brutorum est propria, illisq; relicta.* Non frustra, *nam Deus, natura, & ars nihil agunt frustra.* l. 1. d. coe. c. 4. t. 32. *E. rationalem. At rationalis operatio non est, ubi consequentiæ formantur contra disciplinam rationis, quæ rationi modos procedendi præscribit. E.*

ſemper tenemur ad Logicam formare conſequentias, etiam in Theologiâ, niſi irrationaliter operari velimus, quod eſt contra finem creati hominis. Et confirmatur ulterius: Finis concreati luminis naturalis intellectus in homine, aut eſt veri inquiſitio aut nihil. Non hoc. Ergò. iſtud. At veri inquiſitio ſine verâ conſequētiâ fieri non poteſt: Vera conſequentia Logicæ cõtraria eſſe nequit: Ergò quàm neceſſaria eſt etiam in Theologiâ, veri indagatio, tàm neceſſaria in eadē cõſequentia Logica, veri indagādi directrix. Et ſic nulla ibi admittēda conſequētia, quæ Logicæ conſequētiæ ſit cõtraria. Hoc modo rectè dicitur, Logicā è diſſertationibus accuratis excludere eſt διάνοιαν mutare in ἄνοιαν. *Et collocutor ſine Logicâ eſt domus ſine januâ, & lingua ſine capite.*

9. 3. Ab exemplo Chriſti & Apoſtolorum. *Quomodo Chriſtus & Apoſtoli cum adverſariis proceſſerunt, quâ formam conſequentiæ, ita & nobis procedendum. Illorum enim actio noſtra eſt inſtitutio, & in multis etiam imitatio. At illi ſemper* formaliter diſputârunt, *i. e. neceſſariis & legitimis conſequentiis. Sic Chriſtus reſurrectionem mortuorum infallibili conſequentiâ probat* Matt. 22. v. 32. *Quibus Deus eſt Deus, illi vivunt ipſi, & non ſunt totaliter mortui. Oportet enim veram & realem relationem inter Deum & illos, quibus eſt Deus, eſſe, unde non prorſus nihil eſſe poſſunt, ſed aliquo modo exiſtunt. Abrahamus, Iſaacus, & Iacobus ſunt illi, quibus Deus eſt Deus. E. non totaliter mortui. Iam conſequenter: Qui non totaliter mortui, ſed Deo vivunt, illi habent ſpem reſurrectionis. Subjacent enim ita potentiæ Dei, ut pro eius placito ad vitam revocari poſſint. At Ab: Iſ: & Iac. ita ſe habent. Ergò. Sic Meſſiam non eſſe purum hominem neceſſariâ conſequentiâ probat, quod David Rex in ſpiritu ipſum dixerit Dominum ſuum.* Matt. 22. v. 43. *Sic jure dari poſſe cenſum Imperatori Romano à Iudæis, quod ejus numiſmate utantur, & imperium ejus agnoſcant,* v. 21. 22. *De cujus conſequentiæ*

ſoli-

soliditate vide elegantem co mmentarium Marq: Freheri *in hunc locum. Sic Iudæos esse ex Diabolo immotâ sequelâ probat, quia faciunt ejus opera.* Joh. 8. v. 44. *Similia vide aliis in locis. Sic* Paulus *necessariis consequentiis probat justificationem peccatoris sine additamento operum.* Rom. 3. v. 19. 23. 20. c. 4. v. 12. 15. *Mortificationem carnis & operum ejus.* c. 6. v. 2. 3. 16. 17. *subjectionem subditorum sub magistratu,* c. 13. v. 2. 3. *Resurrectionem mortuorum.* 1. Cor. 15. v. 13. 14. 15. *Idem de reliquis Apostolis doceri potest.* Petro. Act. 2. v. 24. 25. 34. 35. c. 3. v. 19. 20. c. 15. v. 8. 9. 10. 1. Pet. 1. v. 13. 14. 17. 18. 23. 24. c. 2. v. 13. 14. c. 3. v. 5. 6. 2. Pet. 2. v. 4. 5. Johanne. 1. Joh. 2. v. 15. 16. c. 4. v. 7. 16. 18. c. 4. v. 9. 10. *Et infinitis exemplis aliis ostendi potest.* 4. Si *licet disputare non Logicè, vel sine consequentiâ Logicâ, ergò licebit disputare* ἀλόγως, *hoc est, ratiocinari sine ratione vel irrationabiliter & brutè: & rationes adducere, quæ rationes non sunt: causas dare, ubi nullæ causæ sunt: assumere sententiam, cui nulla ratio subest: operari humanè simul & brutè. Nam disputatio est velut rationum rei deductio. At posterius est absurdum & contradictorium. Ratiocinari enim sine ratione est vivere sine vitâ, sentire sine sensu, currere sine motu, & loqui sine voce, quæ simpliciter sunt impossibilia. E. & prius.* 5. A pari. *Si in Theologiâ loquendum nobis est & scribendum ad regulas Grammatices, ergò & in eadem ratiocinandum ad regulas Logices. Nam ut illa Orationem instruit organis suppeditatis, sic hæc rationem. At prius facere tenemur, nisi Barbari audire velimus. E. & posterius.* Dices: *Bona consequentia non statim est forma Syllogistica. Et sic qui disputat bonâ consequentiâ, non statim formâ Syllogisticâ disputat. R. Bona consequentia non est forma Syllogistica* explicita & perfecta, *benè tamen* implicita & imperfecta, *& sic rectè ita dici potest. Potentiâ proximâ ibi est Syllogismus, & sic*

 conse-

consequentia formalis dicitur, ut Co. Mar. *loquitur* c. 10. d. an. for. p. 125. *Nam ubi datur Conclusio, atq; medium additur, jam consequentia argumentativa datur & imperfecta argumentationis forma, unde formaliter aliquis disputare dici potest. Vt idem resp:* th. 183. 187. 188. *Quicquid sit de re vel materiâ, de quâ hic non disceptatur.*

10. *Ita* prima hypothesis *confirmata: Multa sunt, quæ in speciem ei obverti poterunt. Quorum quædam brevibus lustranda, ut veritas hypotheseos eò evadat clarior.* Dices: 1. Sufficit Logica & intellectus naturalis *ad disputandum, non opus est peculiari artificio, habitu, modo & formâ Logicâ, ad quam disputatio conformetur, ut hodiè usitatum est in Academiis. R. Sufficit Logica naturalis rudioribus, & illis, qui obiter & perfunctoriè saltem disserunt: non illis, qui accuratè & intimos rerum recessus scrutando, disquirunt. Quod in Academiis & cathedrâ Scholasticâ fit. Hic habitu artificipali ultra naturam est opus, nam certiùs, firmiùs & solidiùs operabitur, qui arte junctâ naturæ operabitur, quam qui solâ naturâ.* 2. Ita Theologia jus sumet *à Logicâ, & scriptura erit subjecta & conformanda ad humana ratiocinia, h. e. superius erit subjectum inferiori, & ab eo leges, quibus se teneat, desumet, quod absurdum. R Negatur consequentia. Aliud est;* jus sumere *ab aliquo: aliud,* modum docendi, explicandi *& deducendi ab aliquo sumere. Ius sumit ille, qui realem decisionem & ipsius materiæ s. objecti, de quo quæritur, tractationem alicunde desumit. Hoc Theologia ex divinâ revelatione, ut adæquato & proprio principio sumit: Modum deducendi & explicandi jus sumit ille, qui* τρόπον *& pædian seu rationem versandi circa illud aliunde desumit; Quod inferioritatem, subservitionem, & subjectionem non arguit, sed instrumentalem tantùm applicationem & utilitatem. Sic à Grammaticâ sumitur modus loquendi, construendi, con-*

gruè

grue scribendi in linguâ Hebrææ, Græcâ, Latinâ, & sic in materiis Theologicis, Iuridicis, Medicis,&c. Sic ab Oratoriâ modus facundè dicendi in iisdem facultatibus. Nec tamen ullus dicit, istas facultates jus sumere â Grammaticâ, Oratoriâ, aut similibus: nam instrumentalis accommodatio, non subjectio aut dominatio, tantùm hinc colligitur. Idem de Logicâ directione in Theologicis habendum. Logica dirigit ut norma modalis, idealis & instrumentalis: non realis, materialis, & principalis. Vnde instrumentalis applicatio colligitur, non servilis Theologiæ sub Logicam subjectio. Res *disponuntur per notiones secundas habituum instrumentalium:* veritas *& vis earum â primis per secundas dispositis propriaq; earum connexione dependet.* Ἰερόπος παιδείας *potest instrumentaliter inservire, explicare, dirigere illum, qui realis habitus notitiam sibi cupit acquirere; ut tamen ipse habitus maneat ex vi objecti & modi considerandi longè nobilior disciplinâ, intellectum habitum appræhendentem dirigente.*

11. Dices 3: *Dirigens semper est nobilius directo, saltim quà dirigens. E. saltem in hoc Logica erit nobilior Theologiâ & scripturâ, Quod etiam absurdum. R. Dirigens sc. per modum* principalis, ultimi & completi agentis *semper est nobilius directo, sic Logicus Logico habitu instructus dirigit; sic ephorus discipulum, Sp. S. hominem renatum, gubernator navem, Imperator exercitum dirigunt: Non* per modum instrumenti, medij & incompleti agentis. *Hoc non nobilius. Sic compassus dirigit navem & gubernatorem, index hominem horas indagantem, exemplar picturæ pictorem, protoypon & idea artificem, statua Mercurialis viatorem, nec tamen nobiliora.* Deinde Logica *accuratè loquendo non dirigit Theologiam, Medicinam, &c. Sed intellectum humanum, in materiis Theologicis, Medicis, deducendis, probandis & ordinandis occupatum. Ergò hoc ad summum ex illâ di-*

rectione sequetur. E. Logica tanquam dirigens, est nobilior intellectu, vel operatione intellectiva, *ut directo, Quod concedi potest.* V.d. Log: 1.t:37. 4. Christus *& Apostoli cum Adversariis disputârunt, sed non Logicè, non Syllogisticè, non analyticè, aut Aristotelicè. E. nec nos ad istum modum alligari debemus. R. Christus & Apostoli semper formaliter, i. e. in bonâ consequentiâ disputârunt.* V.t.8. *Et sic idem nobis agendum erit. Sic invertam argumentum. 2. Nunquam Christus aut Apostoli contra Logicam aut artem disputandi processerunt, ut* th. 27. *dicetur. Esto, Syllogismos explicitos & apertos non formaverint. 3. Non est universalis consequentia, de modo procedendi speciali arguere, quo modo Christus cum adversariis procesßit, eo & nobis procedendum. Variè enim ille mutari potest secundum morem nationum, modum apud illas receptum, aut pactum ab utrâq; parte conventum, vel alias circumstantias. De modo formali generali potest procedere, & sic* th. 9. *est adductum, non speciali & assumpto. Sic Christus sæpè per parabolas & similia egit, nec tamen nobis præcisè ita agendum.*

12. 5. Apostolus *jubet omnem rationem captivare sub obsequium fidei.* 2. Cor. 10. v. 5. *E. nec consequentiæ rationis sunt curandæ in disputationibus de rebus fidei. R. Ratio est captivanda sub obsequium fidei, sed excedens, i. e. cohibenda, ne imperet aut oppugnet res fidei, & velut sibi subiectas ad sua inventa eas mensuret, vel objecta doceat objectis fidei ex diametro contraria, & sic fidē irrideat: non subserviēs, i. e. non ita abigenda à sacris, ut prorsus abscedat, nec ulla ejus operatio in Theologiâ sit admittenda, vel ullum ejus argumentum recipiendum. Nam sic explicatio, interpretatio, sensus eductio, variorum collatio, unius ex alio collectio, omniaq; intelligendi media in spiritualibus prohibenda erunt, & sic nihil in totum ex Theologiâ homo intelliget. Ita homo jubebitur non homo esse,*

ratio-

rationalis sine ratione esse, intelligens intellectum seponere, & cui lumen aliquod est, pro luminoso cæcus esse imperabitur, quod in ipsum Creatorem injurium. V. th: 8. *Sic frustra Paulus à Corinthijs judicium requisiisset.* 1. Cor. 10. v. 15. c. 11. v. 13. *frustra Berhoenses ut omnia quotidiè scrutantes laudati essent,* Act. 17. v. 11. Rationi in sacris debetur ministerium, revelationi dominium. *Utile hic fuerit, tractatum instituti, quo de usu rationis humanæ in sacris doceatur, tanquã in divinâ Dialecticâ, formas, modos & terminos consequentiarum præscribente. Quam sophrona dici posse censet* Verulamius l. 9. d: augm. scient: c. 1. §. 1. *Ubi & usum rationis in sacris urget secundarium & respectivum, in deducendis ex primis articulis fidei aliis illationibus: non primitivum & absolutum, in statuendis ipsis articulis & fidei principiis, quæ ab ipsâ revelatione velut per se subsistentia esse debent, non à ratione dependentia. Consequentiæ materiales rationis contra fidem & revelationem in Theol. non sunt admittendæ, & de illis agit Apostolus, hucq; pertinet elegans dictum* Pet: Damiani *apud* Durelleum l. 3. dialect: c. 1. p: 521. *interim modi formales per consequentias procedendi ferri in Th: possunt & de illis non agit Apostolus.* Conf. D. Meisn. d. mal. Co. Mar. c. 2. p. 181.

13. *6. Si in Theologiâ semper consequentiis Logicis disputandum, E. rustici, mulieres, idiotæ, nihil de rebus fidei poterunt cognoscere, non enim capiunt subtiles illas consequentias Logicas. R. Nihil poterunt cognoscere plenè, perfectè, accuratè, & omnibus modis absolutè, hoc docti poterunt: benè partialiter, imperfectè, & quantum saluti satis est. Disputandi ἀκρίβειαν illis relinquent, qui dono spiritus discernendi accurato sunt præditi* 1. Cor. 12. v. 1. 8. 29. 30. *Ita Spir. prophetarum prophetis subjectus erit,* c. 14. v. 32. *Consequentias ex parte judicare poterunt idiotæ: & ut perfectiùs judicent, à peritioribus*

ribus se erudiri patientur. 7. Ratio *non percipit quæ sunt spiritus, sed stultitiam judicat ea. E. modus disputandi rationis, qualis est Logicus, non est applicandus doctrinæ Spiritus, qualis est Theologia. R. A negato materiali obiecto in Logicis incognito, ad negandum modum formalem in Theologicis adhibendum, non valet consequentia. Ratio non percipit ea materialiter, & quoad realia obiecta, ideoq; si ea velit ex se judicare aut reijcere, non admittendum ejus judicium: Interim modi ejus formales procedendi admitti possunt in Theologiâ. Sic Grammatica, Rhetorica, Poëtica, non percipit ea quæ sunt Spiritus. E. si in spiritualibus loqui, scribere, perorare, versus pangere velis, non ad præcepta Grammaticæ aut Rhetoricæ convenienter facere teneris. Non sequitur. Grammatica, Rhetorica, Poëtica, & similes habitus, modos formales suggerunt, quorum usus est in omnibus materiis: salvis materialibus & objectis, quæ ex disciplinis realibus sumenda.*

14. 8. Ratio, & *sic rationis disciplina Logica, non solùm non percipit spiritualia, sed & ex naturâ suâ, ut nunc post lapsum est, fertur adversa spiritualibus, & ex se non potest non ita ferri. E. ejus modi inferendi, probandi, concludendi & similia non debent præscribi, ut præcisè servandi in Theologiâ, & sic perinde est, utrum in Theologiâ disputemus legitimâ consequentiâ Logicâ, an secus. R. Ratio naturalis, ut corrupta est, fertur adversa Deo, & non potest non ita ferri, & sic ejus consequentiæ non solùm non præscribunt Theologiæ, sed omninò non sunt admittendæ in eâ, sed prorsus repudiandæ, & sub obsequium fidei captivandæ.* 2. Cor. 10. *Et valebit hic illud:* Succumbat fidei ratio, & captiva quiescat. *Sed Logica est disciplina rationis, non ut corrupta præcisè est, sed ut ex parte post lapsum integra est, & lumine naturæ concreato ex imagine Dei residuo instructa. Hujus præcepta & modi consequendi generales omninò sunt admittendi in Theologicâ disputatio-*

tatione, ut præcepta & modi construendi Grammatici in locutione de materiâ Theologicâ, & præcepta Poëtices in poëmate de materiâ Theologicâ. Si loqui velis vel scribere in Theologiâ, competenter ad regulas Grammaticas tibi loquendum, nisi barbariem & soloecismos oleat Oratio. Ita si disserere in Thelogiâ, competenter ad regulas Logices disserendũ erit, nisi ἄλογος disputatio esse debeat. Determinare alicubi Theologiæ majestas Logicam, & velut deficientis complementum, evectio, & perfectio esse potest: eversio & destructio ejus esse non potest, nisi simùl sit luminis naturalis. Quod in Deum pugnare esset.

15. 9. Est diversa *ratio hic Grammaticæ, Rhetoricæ, & Logicæ. Grammatica & Rhetorica præcepta apud omnes sunt eadem, & sermonem tantùm dirigunt, non res sermone prolatas: At Logica apud diversos diversa sunt, & res ipsas connexas & dispositas dirigere debent, an verè se habeant, nec ne. Hic Sp. S. potest res connectere, ut veras, quas Logica ex suis regulis dicet esse connexas ut falsas: Vt, virginem salvâ virginitate parere: Hominem etiam hominem manentem esse simùl Deum: corpus grave supernatare aquis: ignem non urere corpus ustibile: mortuum & corruptum idem numero redire. &c. Hic credendum est Spiritui S. & Logicæ consequentiæ insuper habendæ. E. non ad illas sumus alligandi in Theologiâ. R.* 1. Quoad modos formales *nulla est diversa ratio Logicæ & Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeticæ, aut similium habituum instrumentalium. Vt hi instrumenta artificiosè operandi in omnis scibili suppeditant: Ita & Logica. Vt hi per instrumenta sua generaliter inserviunt omnibus disciplinis; Ita & Logica. Vt hi organicè dirigunt, & ubivis competenter urgendi: Sic & Logica. Præcepta quædam* specialia, *modi quidam explicandi speciales, objecta formalia, finis, considerandi modi in istis habitibus variare possunt, salvâ generalium instrumen-*

strumentorum in disciplinis omnibus applicatione. Grammaticam orationem dirigere, Logicam rationem, ad speciales fines disciplinarum pertinet, quod non tollit generalem applicationem. 2. Etiam *quoad applicationem irregularium rerum eadem est ratio Grammaticæ & Logicæ. Vt Grammatica anomalias habet, quorsum redigit modos dicendi irregulares & anomalos: Ita Logica terminos generales, eminentes, & transcendentes habet, ad quos præternaturales enuntiandi modos revocat. Ita de exemplis adductis habendum.* Addito modo, *quo istæ connexiones procedunt, quem ex Theologiâ scire oportet, inveniet Logica notiones generales, quibus illas disponat. Sic virginem parere per peculiarem operationem Dei, enuntiat paronymum eminens & mysticum de suo subjecto: idem de illo, Mortuos per potentiam Dei absolutam ad vitam revocari, & cæteris habendum. Ita, si termini connectendi ex ipsis disciplinis realibus, ex quibus sunt sumpti, rectè determinentur, Logica ex se non habebit, ut falsos eos vel eorum connexionem dicat. Hactenus eadem instrumentalium habituum est ratio.*

16. 10. Absurdum *est dicere, Christum & Apostolos in disputando alligatos fuisse consequentiis, præceptis & regulis Logicis, inventis & disciplinis gentilium. E. Nec hodiè Christianos illis alligari fas est. R. Logica non est inventum gentilium, ut gentiles sunt, sed ut lumine naturalis intellectus prædití sunt.* V. t. 7. 13. *Idem de consequentiâ Logicâ habendum. Ad inventa luminis naturæ Christum & Apostolos in modis procedendi formalibus alligatos fuisse*, saltem negativè, *ne contra illos processum instituerent, nihil est absurdi.* V. t: 27. 28. *Sunt enim talia præcepta à Deo in naturâ humanâ primitùs concreata, & pars notitiarum naturalium adhuc post lapsum residuarũ.* V: t: 9. *Esto, positivè ad regulas Logicas non seper explicitos & perfectos Syllogismos construxerint*

17. 11.

17. 11. Si omnes *consequentiæ ad Logicam redigendæ in Theologiâ, E. Si aliquam consequentiam non capiat ratio, statim erit rejicienda, ut* ἄλογος. *Sic multæ consequentiæ in mysteriis erunt rejiciendæ. R. Tùm hoc sequetur, si omnes consequentiæ etiam in materiâ & ipsis rebus rationi erunt subjiciendæ. Quod suprà negatum* th. 13. *Hæ ex qualibet disciplinâ speciali, in quâ proponuntur, iudicandæ. Eas si ratio non capiat, transcendere suum captum dicere debet, non rejicere, aut terminis generalibus applicare.* V. t. 15. *Vltrà si procedat, jam captivatio illa necessaria, de qua* th. 12. *Sed hoc nihil ad processus formales, qui generales sunt, & ubivis urgendi. Sic præcepta Grammaticæ, Rhetoricæ.* V. t. 13. 12. Multa in Theologiâ *sequuntur non ex regulis consequentiæ Dialecticæ, sed Christianæ prudentiæ solùm: sic purgatorium ex* Matth. 12. v. 32. *Ita* Bellarm. l. d. purg. c. 4. *E. in illis non consequentia Logica curanda. R. Hoc effugium miserrimum est. Consequentiam sequi, sed non sequi ad Logicam regulam, est numeros addere, sed non ad leges Arithmetices: figuram lineatum componere, sed non ad Geometriam; phrases combinare & construere, sed non ad Grammaticam. Consequentias docet* Logica, non prudentia: *& quæ consequentia procedit, ad regulas Logicas procedit. Quod non sequitur ad regulas Logicæ, non infertur necessariâ consequentiâ: nam omnem legitimam consequentiam regulis Dialecticæ conformem esse oportet, ut rectè* D. Gerhard: T. 8. d. mort. §. 246. *Prudentia de consequendo nullas regulas præscribit, perinde ac de circumspectione ex factis & historiâ comparandâ nullas tradit Dialectica.*

18. 13. Dantur *Syllogismi, qui per formam Logicam benè procedunt & tamen in Theologiâ ex veris præmissis falsissimas inferunt Conlcusiones: Vt, Omnes non credentes damnantur. Pii non damnantur. E. pii sunt non credentes. Qui*

non benè agunt, sunt irregeniti. Fideles non sunt irregeniti. E. fideles non benè agunt. Et contrà, *Quidam Syllogismi ad formam Logicam non procedunt, & tamen in Theologiâ verissimè inferunt ex veris præmissis: & nunquam depræhensum est, ex tali formâ ex veris præmissis falsam illatam esse conclusionem. Vt, cum minor in 3. fig: est negans. Sic: Om. electus est vocatus. Nullus electus perit. E. quidam, qui non perit, est vocatus. E. frustra in Theologiâ semper consequentiæ Logicæ vrgentur. R.* Primorum Syllogismorum *Conclusiones, si per formam legitimè inferantur, sunt verissimæ & per Logicam, & per Theologiam. Debet illis adhuc una inferri negatio, ut copula fiat negans, & conclusio per formam 2. fig: sit negans. Sic inferes: E. pij non sunt non credentes, E. fideles non sunt non benè agentes, Quod verissimum.* Dices: *Sic fient affirmantes Conclusiones, nam duplex negatio apud Latinos æquipollet affirmationi. R. Fient affirmantes, sed aliâ propositione quâ sensum & æquipollentiam ex illis eductâ: per formam & copulationem suam sunt negantes, quod ad formam 2. figuræ defendendam sufficit. Sic duæ propositiones sensu æquipollere possunt, ut tamen* una *quâ copulam sit affirmans,* altera *negans. Vt: Bartimæus non habet visum, & Bartimæus est cæcus: Homo non movetur, & homo quiescit. Esse autem istas propositiones, Pij non sunt non credentes, Fideles non sunt non benè agentes,* quâ formam & copulam suam *verè negantes, oppositio docebit. Opponuntur enim his, Pij sunt non credentes: Fideles sunt non benè agentes. Quæ sunt infinitè affirmantes. E. istæ negabunt, quod hæ affirmârunt negatione copulæ præmissâ, & noviter ex oppositionis lege inductâ.* Conf: Danhau: apol: d. Syll: inf: §. 9. Ad alterum *quidam respondent, esse 4. terminos, ap. eundem* d. syll: inf: §. 13. & apol: §. 17. *Quædam responsio ex* dis: 9. th. 15. *sumi poterit. Rectissimè dicetur,* vel *majorem ponendam*

loco

loco minoris, & vicissim, sic per formam procedet in felapton: Vt: N. electus perit. Om. electus est vocatus. E. quidam, qui est vocatus, non perit, quod verissimum: Vel minorem formandam esse infinitè. Om. electus est non periens, ut ita prædicatum hoc infinitum fiat in conclusione subiectum infinitum, E. quidam non periens est vocatus; sic nulla propositio erit negans, & erit Syllogismus ex meris affirmatis in modo Darapti: vel *si minor omninò formanda sit negatè, & iam conclusionem ita formandam esse, ut sequatur debiliorem partem per formale Syllogismorum requisitum: Et ita particulam negandi ex minore referendam ad copulam conclusionis, ut illa fiat negans, & sic concludendum: E. quidam periens non est vocatus, Quod est falsum. Nam cum terminus major vel minor negatur de medio in 3. figurâ, etiam minor de majore in Conclusione negari debet, & sic conclusionis forma omninò negans esse debet. Si ita violari requisitum* speciale *figuræ 3. de inferendo toto prædicato minoris in conclusionem dixeris : dicam ego, nisi ita inferatur, violari requisitum* generale *omnium Syllogismorum, quod conclusio debeat imitari debiliorem præmissam. At principium speciale meritò cedit generali. Et quia Syllogismus aliàs velut præter legem & in modo inusitato est, satius esse, si sit præter legem specialem unius figuræ, quàm generalem omnium. Et ita conclusionem negativè in talibus Syllogismis format ipse Danhaver.* id: dis. s. 4. §. 68. & epit: Dial: p: 1. c. 10.

19. 14. Si omnia *consequentiis Logicis in Theologiâ agenda, E. si quis pro se habeat dictum scripturæ, non erit illud satis efficax ad movendum & confirmandum, nisi consequentiis Logicis deducatur, quod detrahit authoritati scripturæ. R. N. C. Dicta scripturæ non probantur, sed ut principia apud Christianos assumuntur. Sed ut verum sensum dicti, conclusiones & deductiones ex eo formatas assequamur-*

 conse-

consequentiis legitimis & ad leges Logicas formatis est deducendum. Logica res ipsas non docet, sed modos instrumentales rationabiliter versandi circa res, quorum usus & in Theologiâ esse potest. 15. Patres *sæpe Dialecticis sunt iniquiores, ut cum Philosophos Patriarchas hæreticorum vocant, & facessere jubent Dialecticos, ubi creditur piscatoribus, non Dialecticis: Et apud* Ruffinum l. 1. c. 7. *Philosophus quis, qui argutiis Logicis constringi nequijt, solo verbo nudè proposito est convictus. Ergò. R. Patres de illis loquuntur, qui* principia Philosophica realia fidei rebus opponunt *& ex istis has expugnant. Hos iubent facessere. Logica autem est instrumentalis saltem disciplina. Hæc ut fidem non dat, ita nec adimit. Conversio est opus Sp. S. quod per verbum exerit, non Logicæ: nec mirum, argutiis Dialecticis Philosophum non potuisse converti. Logica bonas consequentias elicit: ut illæ cor hominis moveant, verbo Dei & Sp: S: perficitur. Si argutiis omnibus Philosophus tùm temporis occurrere potuit, nos eò solidiùs Logicis incumbamus, ut & in istis contradicentes cōstringere queamus.*

20. *Ita* prima hypothesis *statuta. Dico* II. Non semper tenemur in formâ Syllogisticâ disputare apertè & explicitè, *i. e. formando apertum & explicatum Syllogismum, terminis, propositionibus, dispositione, figurâ, modoq́, plenè perfecteq́, propositum, nisi peculiaris necessitas postulet. Hoc oppositum est illis, qui semper ad formam, ad formam, crepant, de quibus* th: 6. *Et hoc puto negasse* D. Meisnerum, *locis ut suprà*, t. 7. & p: 1. Ph. S: s. 1. c. 6. q: 7. *Conceditq́* Corn. Mar. locis th. *c: allegatis. Etsi in eo discernat, quod ipse talem consequentiam urgeat, cujus norma sit Syllo: perfectus, ad quem reduci possit*, th. 31. 34. 41. 44. 52. 55. 74. 59. 61. 66. 68. 70. 74. 104. 135. 145. 156. 161. 170. 175. 176. 205. 239. *hic id semper fieri posse neget. Hic tamen nunquam id se putasse ait.* l. d. mal. C. M. c. 2. t: 17. *Probatur assertio.* 1.

Rati-

Ratione. 1. Si in Theologiâ *semper expressis Syllogismis agendum, tùm nullum scriptum, colloquium, epistola, assumenda erunt, nisi meris Syllogismis explicitis sese consequentibus secundum omnes partes sint composita. At hoc est insolens, & communiter non admittitur. Ita Evangelia & Epistolæ respuendæ, non enim Syllogismis expressis contexta. Ergò.* 2. Exemplis Christi, *Apostolorum, & aliorum de materiis interdum colloquentium. Christus & Apostoli nusquam Syllogismum explicitum partibus omnibus absolutum formârunt: Et in colloquiis sæpè de materiis Theologicis, Iuridicis, aliisq́ disseritur absq́ Syllogismo aperto. Sic in concionibus homiliis, amicis congressibus. Huc pertinet, quando Enthymematibus, inductionibus, exemplis, similibus, comparâtis, &c. res probantur, ut apud Rhetores, Poëtas, Oratores frequenter fit; non præcisè Syllogismis explicatis.*

21. *Dixi,* nisi peculiaris necessitas urgeat. *Varia hæc esse potest.* 1. Jnferendi aperta claritas, *perfectio, & firmitas. Syllogismus est medium inferendi clarissimum, perfectissimum & omninò firmissimum, cum enthymemata, inductiones, tectæ consequentiæ, Oratoriæ consecutiones, & similia vacillanter, involutè, probabiliter sæpè fidem faciant, non immotè & apertissimè. Imò sæpè falsum ex veris inferant. Vnde Dialectico & Rhetori magis relinquuntur, quàm Analytico. Vt ergò absq́ hæsitatione concludatur, & adversarius inevitabiliter constringatur, Syllogismo opus esse potest, & sic illo disputare tenemur. Fieri potest, ut imperfectis argumentationibus firmam consequentiam non satis assecutus adversarius eam planè aperteq́ sibi explicari petat, ubi Syllogismo explicito opus erit. Nec enim aliud medium apertè probationem ostendendi suppetit. Si denegas, iniquus es: si non potes, ignorans. Vt rectè hic* Co. Mart. resp: th. 223. Danhau. ide. disp: f. 1. §. 9. *Vnde nec ulla consequentia in disputatione est*

admit-

admittenda, quæ vel *ad formam explicitam reduci non possit,* vel *ad eam reducta falsam & luxam consequentiam sit habitura, ut rectè idem* t. 160. 161. 2. Plurium, quæ diffusa & turbata sunt, in ordinem & unum contractio: *Cum quæ diffusè proposita sunt, breviter contrahere volumus, ut nervus totius rei evidenter pateat: adeoq́; res pugnum non palmam requirit. Tùm commodissimè Syllogismi expliciti & perfecti usus est.*

22. 3. Vtriusq; partis ex pacto in eam disputandi rationem conventio: *Cum utraq́; pars compromisit in id, se conclusiones & sententias suas apertis Syllogismis demonstraturam.* 4. Adversarii morosa postulatio: *Qui nullo alio disputandi modo actum velit, quàm Syllogismo perfecto, secus disputationem detrectet. Cætera enim argumentandi genera non semper stringunt, inde vacillanter ea procedere dicet, nec se ijs teneri debere. Sic etsi in Grammaticis non eo ordine verba construamus, quo in Scholis à tyrone fieri solet; tamen si quis tecum de constructione contendat, & barbariei postulet, ad regulas Grammaticas teneris procedere. Ita si adversarius omninò reprobet tuam consequentiam, ad Syllogismum perfectum lege regularum Logicarum formandum adigeris. Sed hæc omnia accipienda* 1. De conclusionibus *& consequentiis probandis, & ijs quæ dubia esse possunt: non principiis, quæ ut certa præassumuntur, & probatione non egent. Rectè dicitur: Scriptura dicta non egent Syllogismis: sed & hoc verum: à principiis ad principiata hic N. V. C. Perinde ac si dicas: Principia Euclidis non egent probatione Syllogisticâ. E. nec ea, quæ inde deducuntur, demonstratione. Consequentiæ, deductiones, conclusiones, omninò Syllogismis sunt probandæ, & si principia præsupponantur.* 2. De sententiis & sensu, *quæ deducuntur, non de verbis & sono, unde deducuntur.* Sic Gen. 1. v. 1. *extare verba, In pr: cr: De: coel: & terram, non opus*

est

est probare Syllogismo, nam sensus ibi sufficiens testis est: sed sensum verborum hunc, Deum verum & solum esse creatorem cœli & terræ, si adversarius negat, Syllogismis probare possumus, & à pervertentium cavillationibus, quarum exemplum illustre profert D. Meisn. qu. vex. 1. th. 20. D. Franc. d. inter: Scrip. præf. §. 8. *ex Huntlæo Iesuitâ, vindicare.* V. Danhau: c. l. §: 7.

23. Dico III. Semper tenemur in formâ Syllogigisticâ apertâ etiam in Theologiâ disputare, saltem negativè, virtualiter, & hypotheticè, *si non semper absolutè & positivè.* Negativè, *i. e. cum Syllogismos in Theologiâ formare volumus, nunquam tales formandi sunt, qui in apertos & explicitos Syllogismos ad regulas Logicas debitè formatos impingunt. sic enim consequentiam formalem nunquam habebūt, quicquid de materiis fit. Perinde ac cum in Theologiâ loqui vel scribere volumus, nunquam contra illas loquendi formulas impingere debemus, quæ ad regulas Grammaticas, vel analogas, vel anomalas, sunt formatæ, nisi Barbari esse velimus.* Virtualiter, *i. e. nunquam talis consequentia in Theologiâ formanda, quæ non virtutem Syllogismi expliciti in se habeat, ita ut ad eum levi mutatione reduci possit, retentâ verâ & legitimâ consequentiâ. Nam quæ consequentia ad Syllogismum reducta sit falsa, ea ut inepta est reÿcienda.* Hypotheticè, *i. e. Si ex conditione Syllogismis apertis agere velimus, semper eos ad regulas consequentiæ Logicæ formare tenemur, secus sunt vitiosi. Ita non fas est in Theologiâ formare Syllogismum ex puris negativis, particularibus, scopis dissolutis, quatuor terminis, meris affirmantibus in 2. figurâ, aut minore 1. fig. negante: Nam principia naturâ posita & nota, Ut dici de omni & nullo, tales discursus non admittunt, & sic tales arguendi formas in materiâ Theologicâ ferre non debemus, etiamsi per materiam verum interdum infe-*

rant. Principia enim naturâ nota ubiq; sunt urgenda, nec fas est, contra illorum formas processum aliquem admittere. Hoc ex sequentibus pluribus patebit, ubi nec spiritum S: unquam argumentationem contra Logicam formam adduxisse probatum fuerit. V. th: 27. 28.

24. *Hactenus de* genesi Logicâ *in disputando: sequitur* analysis *vel resolutio, cum ad argumentum objectum in disputando respondetur. De hac dicendum:* Semper formaliter in analysi disputatoriâ respondendum, & â docto respondente argumenta Philosophica Theologiæ & Jurisprudentiæ opposita Logicè sunt solvenda, non relinquenda aut rejicienda. *Duo hic dicuntur.* 1. Formaliter & Logicè ad argumenta respondendum esse. *Hoc est,* vel *negandam esse aliquam præmissam argumenti,* vel *limitandam,* vel *distinguendam,* vel *concedendam,* vel *negandam argumenti consequentiam,* vel *aliud rationis propositæ vitium esse ostendendum, clarè, distinctè, & ordinatè. Hoc patet.* 1. Ratione. *Si in genesi Logicâ formaliter est disputandum, etiam in analysi eodem modo: par enim utriusq; est ratio. Nam* ut *genesis est instrumentum Logicum, ita & analysis.* Ut *illa rectificat intellectum in argumentando, sic & hæc. Et sic eodem modo in legitimâ disputatione utraq; servanda. At de genesi id supra probatum.* th. 7. 8. *Ubi tamen, quod de illâ dictum, semper* virtualiter & negativè *formam saltem servandam,* th. 23. *competenter de hac est intelligendum. Non* expressis terminis, modis, vocibus, syllabis, *alligamur : sed* formali procedendi modo, *ordini, distinctioni.* 2. Exemplis *Christi & Apostolorum. Sic Christus negat consequentiam.* Matt. 22. v. 21. 29. 30. *antecedens.* Matt. 12. v. 25. 26. *Paulus negat antecedens,* Rom. 6. v. 1. 2. c. 7. v. 13. *consequentiam,* c. 3. v. 7. 8. c. 11. v. 17. 20. *idemq; aliis exemplis patet.* 3. à pari. *Grammaticè re-*

cè resolvendo scriptum authoris procedimus in analysi ad formam præceptorum Grammaticæ aut Lexicæ. E. & soluturi rationes disputantium ad formam Logicam procedere debemus. Similis enim utriusq; est ratio. V. t. 9.

25. 2. Argumenta Philosophica superioribus facultatibus, ut Theologiæ, Iurisprudentiæ, opposita ab erudito disputatore solvenda esse, non relinquenda. *Nam 1.* vel *solvi ea possunt, vel non possunt. Si possunt, solvantur: secus objicietur:* Et dici potuisse & non potuisse refelli. *Si non possunt. E. Rationis humanæ speculationes verè poterunt evertere mysteria fidei, aut principia Iuris. Quod impossibile. Nam* respectu Theologiæ *lumen Philosophiæ est lumen minus & imbecillius, Theologiæ majus & efficacius. At minus non potest expugnare majus, sed contrà, hoc istud.* Respectu Iurisprudentiæ *idem lumen naturæ utriusq; habitus & Philosophici & Iuridici est causa & principium. At impossibile est ejusdem luminis principia sese in hoc habitu ponere, in altero evertere, nisi idem lumen seipsum evertere dicas, quod incredibile. E. Argumenta Philosophica & solvi possunt & debent in superioribus disciplinis. Nec ferendum, ut veritates & dona Dei inter se committantur, quæ debent subordinari.* 2. Omnia principia *determinato considerandi modo procedentia, ultra istos modos extensa, ostendi possunt aliena esse, & non applicanda omnibus in universum scientiis. Omnia Principia Philosophica sunt determinata suo considerandi modo, Philosophico nempe, & in circo naturæ procedendo. E. omnia, si ultrà extendantur, ostendi possunt aliena esse, extendi non debere: & sic solvi possunt, & generalitas eorum coërceri.* 3. Inductione exemplorum *id ostendi potest. Nullum in Philosophiâ efficax argumentum est, quod Theologica mysteria verè evertere possit. Hinc rectè* Thomas p. 1. q. 1. a. 8. *Quicquid contra fidem adfertur, est argumentum solubile. Hoc ad solutionem*

em ſpecialium materiarum pertinet, de quâ alibi. Vi. coro-nid: Gym: Log: t. 28. *Idem de principiis Philoſophicis in Iuruprudentiâ adhibitis judicandum.* 4. A pari. *Nos pro noſtrâ ſententiâ argumenta ex ratione in Theologiâ interdum adducimus, quæ non facilè ferimus reÿci & contemni ab Adverſario, ſed ſolvi cupimus, ut praxis diſputationum docet. E. & argumenta ex ratione ab Adverſariis producta ſolvere debemus, non reÿcere. Par enim utriusq; eſt ratio. Et quod nobis fieri non volumus, nec aliis facere debemus. Dicitur autem,* ab erudito diſputatore *id fieri debere, i. e. tali, qui potens ſit* ἐλεγχειν τὰς ἀντιλέγοντας, & ἐπιστομίζειν. Tit: 1. v. 9. 11. *Simplici fideli ſatis eſt, fugiendo magis & reſpuendo agere, quàm ſolvendo: piſcatoriâ ſimplicitate, quàm Dialecticâ ſubtilitate. Turbam non intelligendi vivacitas ſed credendi ſimplicitas facit tutisſimam.* ait Auguſtin. c. epiſ: fundam: c: 4. Eruditus diſputator non ſibi ſolùm, ſed & Adverſario debet ſatisfacere.

26. Dices 1. Scriptura *vult, rationem captivandam ſub fidem.* 2. Cor. 10. v. 5. *E. illius argumenta non ſunt ſolvenda, ſed ut captiva in Theologiâ reÿcienda. R. Captivatio fit* & *reſpuendo ac ut alienum reÿciendo, ut à ſimplicibus:* & *diſtinctè ſolvendo, & ut alienum oſtendendo, ut à doctioribus.* 2. Arma *Theologica non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, ad deſtruendam altitudinem contra ſcientiam Dei ſe extollentem. Ibidem. At cum Logicè & Philoſophicè ſolvuntur argumenta in Theologiâ, armis carnalibus, & ex ratione petitis utimur.* R. arma carnalia *ſunt illa, quæ robore gladÿ ſecularis & vi corporali conſtant: talia non ſunt conſequentiæ Logicæ, perinde ac nec præcepta Grammaticæ aut Rhetoricæ in Theologiâ adhibitæ.* Ratio ſe opponens Deo & inſurgens contra eum *demum fit carnale inſtrumentum: non ſubſerviens, & inſtrumentaliter adhibita in rebus fidei.* 3. Ju-

bemur

bemur *vitare oppositiones falsò nominatæ scientiæ, i. e. argumenta Philosophica.* 1. Tim 6. v. 20. *E. potius contemnenda ea in sacris, quàm solvenda. R.* Vitare *fit & respuendo: & distinctè tanquam alienum & impertinens ostendendo, & sic jure vitandum docendo. Illud ab rudioribus, hoc à doctioribus faciendum. Sic hæreticum vitare jubemur* Tit. 3. v. 10. *Vt tamen admoneatur, convincatur erroris, ibid. & os obstruatur illi.* Tit. 1. v. 11. *Quomodo Christus Sadducæis fecit.* Matt. 22. v. 37. *Et falsò dicta scientia non est Logica, aut scientia aliqua ex vero lumine naturæ extructa: sed sophistica, rixæ, contentiones, genealogiæ, & hominum traditiones atq; commenta præter scientias invecta, vel detorta adversus Theologiam verarum scientiarum principia.* 4. Si argumenta *Philosophica in Theologiâ sunt solvenda, nunquam ad finem controversiæ cum adversariis pervenietur, semper enim restabit, quod excipiant. R. 1.* Etiam *si ex scripturis cum ipsis disputetur, semper habebunt, quod excipiant, ut praxis disputationum ostendit. Ergone & argumenta ipsorum ex scripturâ desumpta non erunt solvenda?* 2. Nego *connexum, controversias finem non inventuras. Omninò pervenietur ad finem* rei *& quæsiti decidendi, etsi non perveniatur ad finem* exceptionum, *i. e. proterviæ adversarij, cui perversitas semper suggeret aliquid excipere, cavillari, ridere, calumniari: Re ipsâ benè decisâ & finitâ, modò solida & aperta adducta fuerit responsio. Controversias decidendo finire possumus: Adversarios ad quiescendum compellendo cogere non possumus. Hoc Deo committendum. Controversiæ decidi possunt: Rixæ & contentiones finiri non possunt.*

27. *Fuit* primum quæsitum: secundum *ad hanc materiam tractandum est de* generalitate *consequentiæ Logicæ,* an ea & in sacris observetur? *vel,* An Sp. S. in sacris unquam contra Logicam argumentando processerit, aut ullum

lum argumentum contra Logicas regulas produxerit? *Nos negamus. Inducuntur exempla, quibus id factum videri possit. Illis solutis tota res patebit.* Objicitur. 1. Per *Dialecticam consequentiam ex unius negatione non sequitur alterius affirmatio, ut nec ex affirmatione unius, negatio alterius. Sed in Scripturis interdum id sequitur.* Vt, Matt: 12. v. 32. *Peccatum in Sp. S. non remittetur nec in hoc nec in futuro seculo. Colligitur inde: E. quædam peccata in futuro seculo remittuntur. Secus ineptè dictum esset. Vt ineptum est, Hispanus nec te absolvet in Hispaniâ, nec Galliâ, si in Galliâ nihil omninò absolvat. Sic* Joh. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo, Pilatus infert, E. de alieno, E. tamen Rex es.* v. 37. *Et Christus illam illationem confirmat. E. Sp. S. interdum contra consequentias Logicas procedit. R.* 1. Ex negatione ut talis præcisè est, *& per formam, nulla est illatio ad affirmationem, ajunt Dialectici. Vt: Non omnes in infernum descendẽtes laudabunt te. Psal.*115. v. 18. *non inferendum, E. quidam. Si delicta imputes, non justificatur coram te omnis vivens.* Psal. 143. v. 2. *E. quidam justificatur. Non solus Papa est infallibilis in iudicandâ fide, non solus homo est brutum: non inferes: E. Papa est infallibilis, E. homo est brutum. Si interdum secus contingat, per* materiam *continget, non formam. Vt, Non omnis homo est dives. E. quidam. Non ex omni ligno fit Mercurius. E. ex quodam. Si in citatis exemplis affirmatio sequeretur, & vera esset Papistarum sententia; per materiam sequeretur, non formam, Quod* non negant Dialectici, *& sic nihil contra ipsos scriptura produceret. 2. Nec per materiam in illis locis affirmatio sequitur.* Matt. 12. *sensum per exaggerationem merè negativum habet, non alium affirmativum, & partitivum locorum, in quibus peccata remittantur, quomodo absolutâ negatione explicatur* Marc. 3. v. 29. Luc. 12. v. 10. *pateté, simili loquendi modo: Vt si iracundus dicat: non*

remit-

remittam injuriam, nec in hoc, nec futuro seculo: non inferes, E. quædam injuriæ remittentur in futuro seculo. Sic Matt. 21.v.19. *Non nascatur ex te fructus in æternum: non inferes, E. quædam arbores fructificant in æternitate.* Joh. 17. v. 8. *Non lavabis mihi pedes in æternum, non inferes, E. quibusdam lavantur pedes in æternitate. Est iste dicendi modus in sacris descriptio æternitatis, cum divisio illa, in hoc, vel futuro seculo, adhibetur. Vt ex* Ephes: 1. v. 10. & 21. 22. *patet. Et ubi in negativis adhibetur, simpliciter & in universum negare solet. Nec ineptum est, ita loqui. Sic per exaggerationem negationis recte dices: Hispanus nec in Hispaniâ, nec in Galliâ, aut Angliâ te absolvet. Sensus est idem, ac hic: Hispanus in nullâ terrarum parte te absolvet, i. e. simpliciter non absolvet: non inferes inde, E. in Angliâ, Galliâ, vel Americâ Indiave tostâ te absolvet. Sic: non absolveris neq; in cœlo, neq; in inferno: non inferes, E. quidam absolvuntur in inferno. Apud Iohannem* c. 18. *non ex negatione Pilatus regem infert, sed ex regno, quod sibi Christus adscripserat,* V. 36. *At ab regno ad regem* argumento conjugatorum *bona & Logica est consequentia. Ita forma arguendi Logica prorsus non violatur. Vberioribus effugiis* Bellarmini l. 1. d. purg: c. 4. Costeri c. 24. ench: prop: 5. Valentiæ T. 4. d: 7. q: 4. p: 1. pag. 1548. & d: 11. q: 1. p: 1. §: 6. p: 2203. seq: Gaulterij Chron: Eccl: p: 146. a. Maldonati in c. 12. Matth: v. 32. *aliorumq; in discursu, si opus fuerit, occurretur.*

28. 2. Christus Matt. 22. v. 32. Marc. 12. v. 26. 27. Luc. 20. v. 37. 38. *argumentatur ex minore negante in 3. figurâ: Deus est Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Deus non est Deus mortuorum. E. Ab. Is. & Iac. non sunt mortui. Quam consequentiam ex suis regulis non admittunt Logici. E. contra regulas Logicorum procedit. R. Christi argumentatio non habet expressam & actualem formam Syllogisticam, sed mate-*

materiam ejus, & consequentiam virtualem, quæ ad expressam facilè redigi potest, & efficacissimè in 1. figurâ, non tertiâ concludet, sicq; nihil contra formam Logicam continebit. V. d. 9. t. 18. 3. Ex puris *negativis, & minore 1. figuræ negante in Logicis nihil concluditur. Sed utrumq; ex sacris concluditur, ut* Joh. 8. v. 47. *Qui non est ex Deo, verbum Dei non audit. Iudæi non sunt ex Deo. Ergò. Similia ex* Matt. 10. v. 33. Rom. 8. v. 9. d. 7. th. 23. *sunt adducta. Sic* Rom. 5. v. 13. *est argumentum ex meris negativis. Vbi non est lex, ibi non est prævaricatio legis. Ab Adamo usq; ad Mosen non est lex. E. nec legis prævaricatio. Sic ex minore 1. figuræ negante, ex* Joh. 8. *Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Iudæi non sunt ex Deo. E. verbum Dei non audiunt. Hic minor est negans.* R. Primum Syllogismum *quidam concedunt esse ex puris negativis, & minorem etiam esse reverâ negantem, sed excipiendos esse Syllogismos infinitos, ut irregulares, à communi regulâ, Ex puris negativis nihil sequitur: Formaliter aliàs procedere, & dictum de omni & nullo in se habere. Continetur enim pars, Iudæi, sub toto, Qui non est ex Deo. Et habet processum à distributo ad distributum, nam subjectum majoris universaliter sumitur: Nec ullum exemplum dari potest, quo servatâ hac formâ ex veris præmissis falsum sequatur.* Danhau. ide disp: s. 2. §. 66. tr. d. Syll. inf. §. 10. 11. & apol. §. 13. 14. epit. Dial. p: 1. c. 10. *Vbi & in hanc sententiam allegat* Horneium ex. Log: 7. th. 30. *Ita respondendum esset, ex puris negativis nihil sequi in* Syllogismis planis, regularibus, & ex propositionibus simplicibus *constantibus: benè tamen in Syllogismis involutis, irregularibus, propositionibus infinitis constantibus, quæ sint potestate duplices. Tales ut extraordinarios Syllogismos esse excipiendos à communi regulâ, & ad modos extraordinarios innominatos referendos esse. Et talem esse istum Syllogismum Christi.*

Danhau:

Danhau: c.1. *Alij respondent, illos Syllogismos esse materiales, & procedere per materiam ex puris negativis, & valere ob terminorum reciprocationemm in majore, & naturalem rerum, causæ & effecti connexionem. ap.* Goclen.p. 4.probl. 28. *Ita* Regius l. 3. Log: q: 5. p: 700.

29. *Rectiùs respondetur, argumentum Christi* Joh: 8. *non esse ex puris negativis.* Maior *enim est affirmans in textu, v. 47. Qui ex Deo est, verbum Dei audit:* Minor *est quidem negans, sed argumentũ servatoris* non est in figurâ 1. Sed 2. *constans minore negante.* Nec conclusio esse debet, *Judæos non audire verbum Dei: sed* non esse ex Deo. *Hoc enim erat in quæstione, Deum patrem Iudæorum esse.* v. 47. *Hoc redarguit Christus ut falsum aliquot argumentis, v. 42. 43. 44. Inter alia medio sumpto, Verbum Dei audire, concludit hoc modo: Qui ex Deo sunt, verbum Dei audiunt. Iudæi verbum Dei non audiunt. E. Iudæi non sunt ex Deo. Hic Syllogismus est 2. figuræ, directè Iudeis oppositus, satisq́; Logicè compositus. In reliquis exemplis* Matth: 10. Rom. 8. Rom. 5. *Minoris subjectum semper sumendum est ut subsumptum sub subiecto majoris in 1. fig: & terminus minor ut subsumptus sub maiori, & sic minores nullâ ratione in istis Syllogismis possunt esse negantes, hæ enim removent in 1. figurâ, non subsumunt: subsumptio autem fit per affirmationem, non negationem, Quicquid sit de istis propositionibus absolutè extra Syllogismos consideratis, ut benè ostendunt* D. Kesler. d. conseq: c. 27. n. 1. Dn. Scheibl. d. Syll: c. 2. n. 15. D. Höpfner. in l. d. interp: c. 6. Co. Martin. d. anal. formæ, c. 3. com: Log: pa. com: l. 3. c. 14. D. Greberus d: 5. Log: q: 3. Cl. L. M. l. 4. inst: Log: c. 45. *aliiq́; Nec satis solidè mihi infringere videtur* Danhaverus cit: locis, *ut alibi fortè ostendam.*

30. 4. Per Logicam *à singulari vel particulari ad universale non valet consequentia. Sed scriptura sæpè sic infert*

fert. Sic Paulus iustificationem omnium sine operibus probat exemplo Abrahæ, Rom. 4. v. 3. 12. *Quod singulare. Resurrectionem nostrûm exemplo Christi*, 1. Cor. 15. v. 20. 21. *Quod etiam singulare. Iacobus efficaciam precum nostrarum exemplo precum Eliæ.* Jac. 5. v. 17. *Quod similiter singulare. Ergò. R.* Jn loco Rom. 4. *concedit BeZa argui â particulari ad Vniversale*, V. Co. Mart: d. anal. for. c. 12. *Sed hoc concedendum non est, nisi simùl concedas, Sp. S. facere consequentiam ex ijs, ex quibus non sequatur, i. ineptam & fallacem, quod prodigiosum. Rectiùs dicitur, â particulari & singulari, quatenus præcisè tale est & manet, ad universale non valere consequentiam. Sed quatenus fundatur in aliquo universali, sic ex eo, ut vim universalis obtinet, ad aliud universale, tanquam par, bona est consequentia.* Sic â pari ad par *inferetur, Quam illationem Logica non reijcit, sed perficit. Sic rectè inferes per Logicam: Socrates est rationalis, E. & reliqui homines sunt rationales: si illud præassumas, Omnium hominum in essentialibus eandem esse rationem. Sic* Rom. 4. *præsupponitur, omnes homines eodem modo justificari. Hoc ex* Rom. 3. v. 20. 22. 23. Actor. 4. v. 12. c. 15. v. 11. Galat. 3. v. 9. 26. 28. 29. *constat. Iam eo præsupposito â pari ad par recta est argumentatio: si Abraham fide est iustificatus, & cæteri sic iustificantur.* Jn 1. Cor. 15. *non tàm ab singulari exemplo, quàm sufficiente causâ nostræ resurrectionis & unione capitis & membrorum arguitur, ut vox primitiarum, fructuum*, v. 22. 23 *docet. Et sic â causâ ad effectum benè procedit argumentum. De fidelium enim resurrectione loqui Apostolum ex* v. 17. 18. 23. *benè probant contra dissentientes Theologi*, D. Gerhard. T. 8. L. C. d. res. mort. §. 18. 58. 61. & *fusè* D. Balduinus in 1. Cor. 15. Jn Jacob 5. *præsupponitur hoc: Omnis iusti precationem seriam esse efficacem. Hoc præmittitur* v. 16. *Inde ad Logicam competenter concluditur: Eliæ oratio*

est

est exaudita. E. & nostra exaudietur. Nam iusti oratio seria est efficax, & exaudietur. Ita in omnibus exemplis nihil contra Logicam arguendi formam.

31. 5. A conditionato ad absolutum *per Logicam non licet inferre. Sed in sacris id licet. Sic ex* Jere. 15. v. 1. *Si steterint Moses & Samuel coram me, non exaudiam eos: licet inferre, E. Mos: & Sa: etiam defuncti stant & orant pro populo. Nam ex futuro conjunctivi id licet inferre, non imperfecto: ut, si starent M. & S. ante me, secus inepta erit locutio.* Bell. l. 1. d. san. be: c. 18. Maldon. in c. 15. Jer: v. 1. Chavass. l: 1. d. not: rel: c. 10. §. 2. p: 171. Gaulter: Chron: Eccl: secu. 1. p: 63. a §. 26. *aliiq. R. A conditionato* ut sic, *ad absolutum, nec per Logicam, nec per Theologiam, licet inferre, nec in allegato loco. Futurum vel præsens, nihil hic iuvant: sæpe enim istis scriptura utitur, ubi absurdissimè absolutum inferes.* Gal. 1. v. 8. *Si angelus de cœlo* ἐυαγγελίζηται: *præsens conjunctivi: nec inferes, E. angelus evangelizabit.* Eccle.: 6. v. 6. *Si vixerit homo 2000. annorum; futurum: nec inferes, E. homo tot annis vivet.* Jerem. 33. v. 20. *Si infringatis pactum meum. E. homines possunt infringere pactum Dei. Sic per hypothesin impossibilem non ineptè dicitur, etiamsi Cicero & Demosthenes accesserint, non persuadebunt. Nihil ex his absoluti sequitur. Si omninò ex* Jerm. 15. *absolutum sequeretur, id tantùm sequeretur, Mosen & Samuelem vivos stetisse coram Deo, & orasse pro populo. Nihil hinc de oratione defunctorum pro populo, quam inde exsculpere volunt Iesuitæ.*

32. 6. Jn Logicis *argumentum à contrario sensu exiguum est. Sed ex sacris educi potest.* Leu. 18. v. 18. *Non sumes uxorem sororis tuæ vivâ illâ. Licet inferre, E. eâ mortuâ licet sumere.* Deut. 23. v. 19. *Non fænerabis fratri tuo. Infertur, E. alienigenæ licet.* Jbid. v. 20. Levit. 25. v. 39. *Non habebis servos ex fratribus tuis. Infertur: E. ex peregrinis licet.* Jbid: v. 44. 46. Matth: 19. v. 9. *Qui dimittit uxorem, exceptâ fornicatione, mœchatur: rectè infertur, E. qui dimittit uxorem ob fornicationem,*

non mœchatur. Joh: 6. v. 19. *Nemo venit ad Christum, nisi pater traxerit eum. Licet inferre, E: quem pater traxerit, ille veniet ad Christum.* Joh: 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere. Infertur, E. cum me aliquid potestis.* Rom: 6. v. 7. *Qui mortuus est, iustificatus est à peccato. E. qui non mortuus est, non iustificatus est â peccato.* Rom: 11. v. 6. *Si ex gratiâ, non ex operibus. E. Si ex operibus, non ex gratiâ.* 1. Cor. 15. v. 14. *Si Christus non resurrexit, nec nos resurgemus. E. si ille resurrexit, & nos resurgemus.* Jbid: v. 20. 22. *Sic* Hebr: 3 v. 14. *Participes Christi facti sumus, si initium substantiæ usq; ad finem retinuerimus. E. si non retinuerimus; non sumus participes Christi facti. Si, qui Christum non confitentur, Christiani non sunt, E. illi, qui confitentur, sunt Christiani.* R. Argumentum à contrario sensu materiale *est*, non formale, *& in Logicis, & Theologicis, i. e. procedit in certâ materiâ & terminis, qui sunt* reciproci & pares: *non per formam, & in omnibus in universum. Sic non valet: Qui bipedes non sunt, non sunt anseres. E. qui bipedes sunt, statim sunt anseres. Vbi corpus non est, ibi nec homo est. E. Vbi corpus est, ibi statim homo est. Qui in peccato scortationis moriuntur, non salvantur. E. qui non in peccato scortationis moriuntur, sed alio, salvantur. Vide plura exempla ap:* Cor: Mart. d. anal. form. c. 9. 12. D. Kesler. Log. Phot. corol: 3. KecKer. l. 3 Lo. tr. 1. c. 11. *Iam exempla ex sacris adducta quædam planè non procedunt, quædam per materiam & aliud procedunt, non formam, ut in discursu partialiter deducetur.* Leu. 18. *planè non procedit.* Deut. 23. & Leu. 25. *sequitur fœnus & servitium in alienigenâ, quia expressè permittitur. Sec9 nihil hic inferetur.* Mat. 19. *procedit illatio ob exceptionem, quam Christus addit: exceptivè enim loquitur; ut contra Papistas negantes alibi probatur.* Ex Ioh: 5. & 15. *nihil sequitur. Multos enim pater trahit, qui tamen non veniunt.* Esai. 65. v. 2. Matt. 22. v. 3. 5. *Et ex propriis naturæ viribus in spiritualibus ne minimū possumus, ut mortui.* Ephes. 2. v. 15. 2. Cor: 3. v. 5. *Loci* Rom. 6. & 11. *ex oppositis immediatis procedunt, eorumq; virtute inferunt.* 1. Cor: 15. *ex sufficiente causâ ad effectum probanbandū procedit, non ex solâ vi contrarii sensus.* Hebr: 3. *nil infert. Pluribus in disquisitione.*

33. *Ita* secundum *fuit, consequentiæ Logicæ generalitas, etiam spiritui S. nunquam violata: Sequitur* tertium, *Canones, quibus formatur illa. De his aliâs.*